

TABVLA RECITATIONVM

IN
ACADEMIA LVDOVICIANA
PER SEMESTRE HIBERNVM
A DIE XVI. OCTOBR.

CIOIOCLXXX.

INCHOANDARVM.

RECTOR
ACADEMIAE LVDOVICIANAE
D. IOHANNES GEORGIUS
BECHTOLD
CVM SENATV.

Quaeunque *Commilitones aestimatissimi*, a criticis aut potius hypercriticis contra praecipuam in fabula illa, cui prae caeteris *Terenius* nominis immortalitatem debet, in *Heautontimorumenno* personam, *Menedemum* nempe eiusque mores prolata sunt, fatis superque nuper V. C. *Briegleb*. Professor Coburgensis, singulari libello refutauit. *Menedemum*, cui primas partes poetae dare libuit, minus probari censoribus litterariis, atque *Chremetem* illo longe inferiorem omnibus arridere nunquam non mirari sumus. Celeberrima ista verba: *Homo sum. humani nihil a me alienum esse puro*, ita fauorem lectorum conciliare solent, ut *Chremetem* illum tanquam exemplar humanitatis atque amicitiae adamare atque collaudare consueuerint. Quum consolando, consilio, re iuuari, ab eo videant *Menedemum*, quum fors parentis infelicissimi lacrimas ei excutiat: eum omni amore dignum censent, eius exemplo nos doceri contendunt, quomodo amicis atque aequalibus inferuiamus, & focii simus in negotiis. *Menedemo*, qui non se ipsum tantum maceret, sed etiam odio in vniuersum genus humanum, tanquam alter *Timo*, flagret, oppositum esse a poeta *Chremetem*, virum lenissimum atque amicissimum, arbitrantur. Quod si vero *Terenius* eo consilio *Chremetem* effinxerit, ut admirationi atque imitationi eum exhiberet: omnes, qui fabulas scenicas cum morum disciplina congruere debere acrius vrgent, iure meritoque potestam reprehenderent. Viros reuerentia dignos a poetis comicis spectatoribus deridendos dari, id scilicet est, quod philosophi nunquam non inique tulerunt. Iam vero in eo praecipuum fabulae argumentum versatur, quod *Chremes*, foris, ut aiunt, oculus, domi caecus, aliena melius videat, quam sua, atque insciens filio pecuniam numeret, quam ad meretricem perferat. Quare *Menedemus*, hoc de eo iudicium tulit:

Quae sunt dicta in stultum, caudex, stipes, asinus plumbeus,
In illum nihil potest; nam exsuperat eius stultitia haec omnia;

& in Sc. I. Act. V. ille monitor atque praemonstrator *Chremes* summo habetur ludibrio. Quum fata *Menedemi* scia fatis sint, atque vel misericordiam moueant, astutia *Syri*, qua *Chremes* illudit, sola, ut vera comoedia haec fabula sit, effecit. Commixtos scilicet virtutibus vitiisque mores *Chremetis* esse, lectores plerique haud animaduertunt. Omnia, quae *Chremes* peccat, culpa patris eueniunt, qui quidem optimis eum praeceptis imbuat, at, (Act. I. Sc. III.) ubi plus paulo adhibet, sua iuuenilis aetatis facinora ipse narrat. Non tam humanum, quam rerum alienarum, eorumque, quae nihil ad eum attinent, nimis sollicitum esse *Chremetem*, exinde putet, quod filiolum non expositam solum (Act. IV. Sc. I.) sed & interentam voluerit; quod in uxorem facinus sit atque truculentus (dicens v. c. Cerro scio, te inscientem



rem atque imprudentem dicere ac facere *omnia*, & Act. V. Sc. II. Filio nihil est vitii relic-
tum, quin sit & idem tibi) quod denique, secus ac *Menedemo* consiliatus fuerat, ignoscere
filio tam pertinaciter recuset, vt *Menedemus* dicere cogatur:

Enim vero Chremes nimis grauitur cruciat adolescentulum
Nimisq; inhumane.

Hominem tam lenem erga alios, erga suos atrocem *Terentius* merito exagitauit, atque in-
fortunio summo maclauit. — Verum missis rebus scenicis, ad seria tranſeamus, atque com-
mendamus *Vobis*, *Commilitones aestimatiſſimi*, locupletissimum praedlectionum hibernarum in-
dicem. Quibus vt frequentes atque attenti interesse velitis, hortaturis transferre ad *Vos* li-
ceat illa *Ciceronis* in prooemio librorum de *Officiis*: Discite a viris scientiarum petitis, &
discite, quamdiu vulcris, tamdiu autem velle debetis, quamdiu *Vos*, quantum proficiatis,
non poenirebit.

LECTIONES THEOLOGICAE.

D. IO. HERMANNVS BENNER, *Acad. Senior*. Praescripto *clementissimo* obliga-
mur ad aperiendum *Collegium catechetico - practicum*; cui morem geram. *Exege-
sin* dabo in *priorem ad Timotheum*. Forte definent ciues nostri *cursoria* confun-
dere cum *exegeticis*. In theologia dogmatica & actiua, *spurium* a *puro* discerne-
re perget. Horae ad legendum sunt XI-XII, IV-V.

D. IOH. GEORG. BECHTOLD. Hora VIII. b. HEILMANNI *theologiam dogma-
ticam*, hora VIII. *Ven. LESSII theologiam moralem*, hora ead. diebus Mercurii
& Saturni epistolae PAVLLI ad *Philippenses* & *Theſſalonicenses* interpretabitur; ea,
quae per hebdomadem prolata fuere, in fine hebdomadis amico colloquio, cum au-
ditoribus instituendo; breviter repetiturus. Hora X. post explicata superiori fem-
ſtri artis catecheticae praecepta, nunc scholas catechetico-practicas aperiet, ad de-
monstrationem pro veritate religionis Christianae, ante aliquot hebdomadas absolu-
tam; iussu superiorum denuo ordiendam, aequae paratus, ac ad exercitia disputatoria,
sive publica optentur, sive privata.

D. LVDOVICVS BENIAMIN OUVRIER. Hor. VIII-IX. theolog. polemicam ad
compendium suum, IX-X. dogmaticam duce D. Danouio, X-XI. moralem prae-
eunte D. Lessio docebit. Homileticum theoretico practicum diebus Mercurii & Saturni
hor. VIII-IX. & hora, quae satis commoda erit examinatorium in theolog. do-
gmaticam instituet.

LECTIONES IURIDICAE.

D. IO. CHRISTOPH. KOCH *Pandectas* hor. IX-X. & XI-XII, *ius canonicum*
& *ecclesiasticum Protestantium* hor. X-XI, *ius criminale* hor. II-III. sex per
hebdomadem diebus docebit, vsurus compendiis I. H. & G. L. BOEHMERORVM
& *suis* Institutionibus iur. crim. Ad collegium *examinatorium* & *disputatorium*
quoque paratus est.

D. CHRISTIANVS HARTMANNVS SAMVEL GATZERT. Hor. VIII-IX. *Ius*
feudale; hor. III-IV. *Ius Germanicum priuarum*; hor. IV-V. *Ius publicum S. R. I.*
horaque alia commoda *Praxin iuridicam* cum *theoria Processus* tradet.

D. LVDOVICVS IVLIVS FRIDERICVS HOEPFNER. Per semestre hiemale hora
VIII-IX. institutiones iuris ciuilibus ex Heineccii libello, a se edito, explanabit;
Hora X-XI. *ius naturae & gentium* ex suo libro proponet. Hae *priuatae* erunt
lectiones. *Publice* antiquitates iuris docebit, & *examinatorias* scholas aperiet; horis,
quae Auditoribus commoda videbuntur.

D. HELVICVS BERNHARDVS IAVP hora VIII - IX. *collegium practicum* denuo aperiet. Hora X - XI. ad PÜTTERI *nou. epitom. processus imperii* Edit. nouiss. de a. 1777. commentabitur. Eodem duce hora II - III. *iur. publicum*, hora IV - V. *historiam imperii* tradet, ad recitationes quoque *iuris privati illustrium* iterum institutas paratus.

LECTIONES MEDICAE.

D. IO. WILH. BAVMER, Med. Prof. primar. hor. X. diebus *J. S. Z & Qis* in Medicinam suam forensam commentabitur. Eadem hora, diebus *Qii & Hni*, ex optione Dn. Auditorum, vel Politiam medicam, vel Diaeticam, ad sua praecepta typis edita, docebit. Hora XI. singulis diebus profectis Pathologiam & Therapiam speciales, praeunte Dn. Plattnero in arte medendi singulis morbis applicata, proponet.

D. CHRISTOPH. LVDOVICVS NEBEL, Med. P. P. O. Chirurgiam ex Platneri institutionibus hora XI - XII. Artem obstetricalem ex Steinii compendio hora III - IV. Praecepta de oculorum morbis hora auditoribus commoda, ex propriis schedis tradet.

D. IO. LVD. FRID. DIETZ, Prof. Med. Ord. Physiologiam, praeunte Hallero H. IX - X. H. X - XI. Osteologiam ac Myologiam, duce Plenckio, explicabit. Anatomiam practicam consuetis horis docebit, Examinatorium quoque Anatomico-Physiologicum offert.

D. CAROL. GVIL. CHRISTIAN. MVLLER, h. X - XI. Materiam medicam secundum b. Linnei epitomen, h. XI - XII. Mineralogiam, h. I - II. Physicam ad filum Becmanniani libri, h. II - III. Chemiam experimentalem, tradet. Publice d. *G. & H.* h. VIII - IX. historiam medicinae litterariam enarrabit.

LECTIONES PHILOSOPHICAE.

ANDREAS BOEHM. Log. Met. & Math. P. P. P. Bibliothecae acad. Praef. Hora II. *mathesin puram* praeunte wolffio in Auszuge aus den Anfangsgründen. Hora IV. *logicam*, Hora V. *metaphysicam* secundum compendia a se edita docebit. Collegium priuatissimum in mechanicam sublimiorem continuabit. Bibliothecam publicam tempore consueto aperiet.

IO. CHRISTOPH. FRIED. SCHVLZ, LL. Or. P. P. O. hor. X - XI. Marcum & Epist. Papilli ad Ephesios interpretabitur. H. XI - XII. Theologiam moralem ex *Lessio* praeceptis — linguae anglicanae fundamenta docebit, publ. I - II. — priuatissimas lectiones continuabit. —

D. CHRISTIANVS HENRICVS SCHMID, Prof. Poef. & Eloquentiae. Publice Hor. III - IV. Libros de *Officiis*, *Laetium* s. de amicitia atque *Caronem* s. de senectute *Ciceronis* illustrabit. Priuatim IV - V. *Encyclopaediam scientiarum omnium* duce *Sulzero* enucleabit V - VI. *Antiquitates Romanas* e libello celeb. *Heynii* enarrabit; ad tradenda *Rhetorices & Poetices* elementa paratissimus.

HENR. MART. GODOFR. KOESTER Hist. P. P. O. Hora VIII. Historiam statuum *Europae* ad Comp. proprium, hor. X. Historiam *litterariam* ad Comp. *Baumannianum*, hor. XI. Historiam *uniuersalem* ad Comp. proprium, docebit, ad Praelectiones in Historiam ecclesiasticam, Imperii Procerum, Statisticam, Heraldicam, Philosophiam moralem paratus.

LECTIONES OECONOMICAE.

IO. AVGVSTVS SCHLETTWEIN semestri hiberno explicabit hor. X-XI. *Ius naturae & gentium* duce Achenwallio; hor. XI-XII. *Oeconomiam politicam* s. *uniuersas disciplinas camerales* secundum proprium systema; Hor. III-IV. *Notitiam rerum publicarum praecipuarum* s. *die Statistick*, secundum proprium filum; Hor. IV-V. *Technologiam* duce Beckmanno; iis quoque operam suam consecraturus, qui *scientiam monetariam politicam*, aut *doctrinam de domaniis, regalibus, & contributionibus*, desiderant, aut *ingenia sua laboribus practicis exercere* cupiunt.

D. IO. WILH. BAVMER, hor. IX. diebus D. G. Z & Qis chemiam docimasticam, duce Dn. Gellert, in den Anfangs - Gründen zu der Probier - Kunst, tradet. Eadem hora, diebus Qii & Hni, fundamenta sua hydrographiae subterraneae, typis prostantia, explicabit. Processus docimasticos horis diei Hni pomeridianis, in laboratorio suo, instituet.

D. IO. LVD. FRID. DIETZ. Medicinam Veterinariam ad finem perductam, ad filum Compendii Erxlebiani, hora auditoribus commoda, denuo publice tradet.

IOH. PHIL. BREIDENSTEIN, Oeconomiae ruralis & Rei calculatoriae camerales P. P. O. Hora X. Oeconomiam ruralem, ad praecepta Succouii, quinquies per Hebdomadem, ita docebit, vt nonnunquam dicta & audita examinaturus, quae pro laudanda DD. AA. diligentia, superferri possunt, Horas, eorum, quae ex vrbana oeconomia rurali maximopere inferuiunt, expositioni, impensurus sit. Rei Calculatoriae camerales fundamenta, Wiedeburgio duce, quater per septimanam, Hora II. Arithmeticam Theoretico-practicam autem Hora commoda enodabit.

GEORG. FRID. WERNER hora auditoribus commoda quatuor per hebdomadem diebus iis praelectiones offert, qui Geometriae practicae per instans semestri aestiuum in campis exercendae sese accingere cupiunt; praeter theoremata igitur eum in finem necessaria praefertim regulas delineandi computandi, diuidendi &c. figuras atque ichnographias conficiendi artem auditoribus tradet.

LECTIONES EXTRAORDINARIAE.

IOANNES CHRISTIANVS DIETZ, SS. Theolog. Profess. publ. extraord. Hora X. pomeridiana collegium exegetico practicum in epistolam diuini Pauli ad Coloffes instituet. In collegiis cursoriis aut fundamentalibus ebraicis, & graecis, alternis nimirum vicibus aperiendis, hora II. pomeridiana, operam suam pollicitatur.

D. IOAN. WILH. CHRISTIAN. BAVMER, Med. Prof. Publ. Extraordinarius, Hor. III-IV. pom. Physiologiam, praeunte b. m. Illustr. Hallero, in primis lineis physiologiae, proponet, iconibusque probatissimorum auctorum anatomicis illustrabit. Hor. IV-V. Pathologiam, duce b. m. Dn. Ludewig, in institutionibus pathologiae, tradet. Praeterea ad lectiones osteologicas, aliasue, quae desiderabuntur, paratus erit.

* * * * *

Praeter ista Generosissimis Nobilissimisque Ciuibus de *luculenta equitandi, pugnandi gladii saltandique palaestra*, *Gallicae* item & *Italicae* linguae scholis, per magistros earum peritissimos, publice constitutos, abunde prospectum est.